



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

9 Consecratio, & reconciliatio non, nisi ab Episcopis fieri potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

Quintò, si ecclesia per Episcopum excommunicatum publicum consecratur, vel benedicatur, quia, si corpus excommunicati mortui execratur ecclesiam, vel cœmeterium, dicitur cap. consulisti, & cap. ecclesiam, multò magis, ubi ipsa consecratio transit per manus, & os excommunicati, arg. l. Domitius, de test. & Graff. eodem cap. 15, num. 19.

7 † At polluta ecclesia, etiam cœmeterium contiguum est pollutum, & non e contra, quia cœmeterio polluto, quamvis ecclesie contiguo, non est polluta ecclesia, ne minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur, d. cap. de consecr. eccles. vel alt. in 6.

8 Ecclesie reconciliatio † fit per aquam cum vino, & cinere benedictam, & per aquam significatur populus, cap. cum Martha, §. quasivisti, circa finem, de celebrat. miss. per cinerem, memoria passionis Christi, Zabarel. in cap. proposuisti, de consecr. eccles. vel alt. & vinum aqua permixtum significat unionem divinitatis, & humanitatis, & ponuntur ista, ut populus, qui per aquam designatur, mundetur, & uniat Deo, quod significat per vinum aqua mixtum, Abb. antiq. in d. cap. proposuisti, nu. 2, eodem tit. de consecr. & Graff. eodem cap. num. 17.

9 Consecratio autem, † seu reconciliatio ecclesiarum, & altarium ad eò solis Episcopis competit, ut nec Vicarius consecrationem, aut reconciliationem exequi possit, nisi sit Episcopus, ex supra in superiori cap. deductu, & ecclesia non consecrata, si injuriola sanguinis effusione polluatur, est etiam reconcilianda, cap. final. eod. tit. de consecr. eccles. vel alt. quia ecclesie, in quibus divina mysteria celebrantur, licet

adhuc non extiterint consecrata, nullo jure privilegium immunitatis amittunt, cum obsequiis divinis dicata nullus sint temerariis ausibus profananda, cap. penult. de immunitat. eccl. & ibi glos. in ver. adimitur, & gaudent eodem privilegio, quo, & consecrata, gloss. in d. cap. fin. in ver. non consecrata, & Abbas num. 2. tamen in reconciliationis actu servari non debet forma, quæ requiritur in reconciliatione ecclesie consecrata, sed sufficit, quòd aqua exorcizata protinus lavetur, ne divinae laudis organa suspendantur, d. cap. fin. & ibi Abb. quòd interim organa clericorum suspenduntur, nu. 4, de consecr. Nam minor solemnitas in reconciliatione ecclesie non consecratae requiritur, quàm in consecrata, quia cum magis delinquatur in loco consecrato, expedit, ut in actu reconciliationis major demonstratio fiat, argum. text. in cap. cum illorum, §. primò, si fuerint, de sentent. excomm. & Abb. in d. cap. fin. in fine, & licet videatur, quòd per Episcopum ecclesia sit reconcilianda, per tex. in cap. aqua, eod. tit.

10 † ecclesia tamen non consecrata, si polluitur, per simplicem sacerdotem aqua per Episcopum exorcizata pro reconciliatione lavari potest, glo. si in d. cap. fin. quam sequitur Abb. & dicit, cum eadem opinione doctores communiter transire, nu. 6. & eadem ratione cœmeteria polluta, quæ non sunt annexa ecclesiis, eadem aqua exorcizata per simplicem sacerdotem possunt reconciliari, quia illa cœmeteria non consecrantur, sed benedicuntur, cætera verò cœmeteria ecclesiis contigua, & quæ unà cum ecclesiis consecrantur, non, nisi ab Episcopo possunt reconciliari, quia de connexis, uti de similibus, idem est iudicium, c. inter ceteras, de rescript. c. 2, de trans-